

*Haec virtus* quis satis Laudare potest tot præclara nomina *Peaucokij, Castelli, Leightfooti, Barlovvij, Willisij, Mori, Wallisij, Cupperi, Bernhardi, Gisij,* & aliorum, doctrina, meritis, supra invidiam magnorum?

Cum ex Academijs illis redux esset, incepit Pestis *Londinum* infestare, & quamvis illa lue correpti miserè tractabantur, parentes tamen suos relinquere noluit, utpote à quibus in omni casu necessariam opem sibi promittere debuit: conservavit etiam Deus gratiosè domum immunem ab illo morbo, quamdiu in ea commoratus est, cum autem noster *Pœnigtono* se magis magisque probasset, de eo sibi in totum vindicando seriò consilium inivit, obtulitque ipsi præsentibus fide dignis testibus, filiam *ELISABETHAM*, sed ea conditione, ut ne in posterum de patria cogitaret, animumque studio Medicinæ addiceret. Ex qua oblatione *ὁ μαργαρίτης* novam ex magna copia passus est penuriam, attulitque ipsi duplex via dubiam & ancipitem curam deligendi, videbat patrem opibus affluere, & ejus manendi consilia talia esse, quibus præclaram fortunam exædificare posset. Sed succedere non debuit conatus *Pœnigtoni*; Deus illum in agro Helvetico natum etiam Helvetiæ destinaverat, non potuit ipsum capere oblivio quid patriæ deberet, quid necessarijs, vitamque sibi acerbam putasset, si nihil unquam in commune conferre quivisset, præter vota. Paulò post tempus ipsum monuit ut ad reditum in natale solum se accingeret: agrè à benefactore suo, missionem obtinere potuit, crescebat etiam ipsi in discedendi confinio dolor alteros suos parentes relinquendi; vicè tamen tandem necessaria fortitudine se ipsum, & ex-